

*Lib. XIII. Tit. I.*

## De contrahenda Emptione, & de pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ venire non possunt.

§. 1. *Emptio Venditio* est contractus consensualis de certa re pro pretio certo tradenda. Ejus notentur 1. *Subiecta* vel Efficientia h. e. Personæ contrahentes. 1. *Materia* s. Objectum. 3. *Forma*. 4. *Effectus*. 5. *Affectio- nes*.

§. 2. (1) *Personæ* sunt, quæ bona sua administrare vel alienare possunt.

**Excipe:** *Olim* Magistratui non licuit in eâ provinciâ quid emere, adeò ut pecuniam & rem emptam perdiderit.

*Hodiè* 1. *Advocatus* cum Cliente de quota litis non contrahit.

**Nec** 2. *Medicus* cum ægroto m. f. coacto.

Licet periclitantes pro salute plus promiserint, accipiendum tamen quod sani ac salvi offerunt.

3. Cum *hostibus* inter loca statuta commercia non valent.

4. *Nobiliores*, quia Reip. perniciosum, non nisi forte per servos & institores commercantur.

§. 3.